



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

Series Archiepiscoporum Et Primatum Trevirensium. Periodus II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)



S E R I E S
ARCHIEPISCOPORVM ET PRIMATVM
TREVIRENSIUM.

P E R I O D U S I I.

XXVII, D. AGRITIVS, I. ARCHIEP.

D. Agritius Antiochiâ Romam D. Helenæ nutu evocatus & auxilio translatus, D. Sylvestro Romano Pontifici adeò pretiosum se exhibuit, ut ab eodem Supremo Episcopo literas acceperit testes Primatus sui, quem à principio suo Antecessores Episcopi jam tenuisse creduntur. Mutata deinde tempora mutaverunt non parùm rem Trevirensium per Germaniam & Galliam, Imperatoribus & Regibus ab antiquo more rem diversam petentibus Romæ, & facilè impetrantibus. Cæterùm D. Agritius Trevirîs omni ex parte confirmatus, ex domo, quæ erat in urbe princeps & regia, Metropolitanam formavit ædem, cuius etiam hodie reliquiæ & monumenta supersunt: palatium verò Constantini M. Imperatorium, in Ecclesiasticorum Virorum domicilium S. Maximini nomine postea insignitum, metamorphosi felicissima est conversum. Templâ duo alia authore Agritio, impensis D. Helenæ sunt excitata, alterum nempe in colle S. Crucis, alterum juxta portam cognomento *Albam*, aut hodie *Altam* dictam: testium loco sint rudera & ruinæ. Christi togam inconsutilem ab Agritii ætate ad nostrâ usque tempora Trevirîs conservari, non audent negare ipsi etiam Reliquiarum sacrarum osiores. Annos circiter 8. Treviros gubernavit Agritius, sepultus in monasterio S. Maximini an, 335.

XXVIII.

XXVIII. S. MAXIMINVS. II. ARCH.

S Maximinus ab Agritio inter vivos superstite exoptatus jam Successor, contra Arianos Apostolicæ & Nicænæ Fidei hostes acutissimos & acerrimos propugnator extitit; Sardicensis in Thracia Concilii præsens arbiter, & primæ fortè author contra Arianos latæ sententiæ. D. Athanasius Alexandria Patriarcha Constantinopoli Treviros usque, prævalentibus apud Imperatorem inimicorum insidiis, in exilium missus, Maximinum inter celeberrimos sui ævi Antistites numeravit. Quin maximi fecerunt Magnentius & Decentius tyranni à D. Maximino meliora educti, quem ad Constantinum miserunt Legatum, at de Legati sui in via mortui obitu nuntium acceperunt re, quam transigendam comiserant, plurimum infecta. Quanti sit habitus suo tempore, non in Occidente tantum, sed in Oriente etiam, ex Socratis Historici antiquissimi testimonio, quòd Parisiis Pithæi Bibliotheca etiam in lucem prodidit, liceat paucis intelligere. Arianorum in Julium Pontificem, in Osium Concilii Nicæni Præsidentem, & in alios maximi nominis Archiepiscopos conceptum odium ex his colligitur verbis: *Iulium urbis Romæ, Osium & Protogenem & Gaudentium & Maximinum à Treviris damnavit omne (Arianorum) Concilium, secundum antiquissimam legem; ut authores communionis Marcelli & Athanasii ceterorumque sceleratorum, quisque etiam homicidii Pauli Constantinopolitani & cruenti; actibus eius communicaverunt. Nominatim verò Maximinum à Treviris, propter quòd collegas nostros Episcopos, quos ad Gallias miseramus, noluerit suscipere; & quoniam Paulo Constantinopolitano nefario hominè ac perdito, primus ipse communicavit & quòd ipse tantæ cladis causa fuit, ut Paulus ad Constantinopolim civitatem revocaretur, propter quòd homicidia multa facta sunt. Causa igitur homicidiorum tantorum ipse fuit, qui Paulum olim damnatum ad Constantinopolim revocavit. Pseudo Arianorum concilio opponatur Synodus Colonienfis, & D. Servatii gesta posteris hunc in modum relicta: quanto Maximinus studio pro conservanda fidei integritate excubavit, aliàs etiam demonstravit, cum Agrippinæ Synodali evocato conventu Euphratem Episcopum hæretica pravitate corruptum, cum his, qui frequenter conven-*

rant Pontificibus, gradu movit, Ecclesiasticâ usus censurâ. In Aquitania, quo negotiorum gravissimorum causâ abiit, post sedis annos 15. è vivis excessisse proditum est memoriâ. Cadaver inter miracula populum ad venerationem tanti Archipræsulis excitantia Treviros translatum est an. 351. E miraculorum numero esse censentur paralytis prope Mosomagum ægro depulsa, & malignus spiritus Ivodii ex obfesso corpore fugatus.

XXIX. D. PAVLINVS. III. ARCH.

D Paulinus ex Aquitania ad D. Agritii disciplinam Treviros accessit unâ cum S. Maximino, utriusque in Archiepiscopatu Trevirensi Successor dignissimus: Treviris namque vigilantissimi Pastoris munere functus, Arianos in Pseudo-Sirmiensi Synodo eminus impugnavit, & in Mediolanensi Concilio cominus expugnare laboravit, ejectus hanc ob causam à Constantio Arianis addictissimo Imperatore in exilium. In Phrygia anno exilii 4. placidè vitam finiit, aut aliorum testimonio, jubente Constantio capite plexus est an. 358. *Vide Thrithemium & Brovverum.* Argumento virtutis & sanctitatis Paulinianæ sint verba à DD. Athanasio & Hilario relicta: Athanasius in epist. ad solit. ita orditur, aut veriùs prosequitur epistolam: *cum deinceps & verbis & sententiis inhaerent, seque arbitrantur plurimis insidari, non animadvertunt, se plures facere Confessores.* Ex quo numero clarissima fuerunt confessionis Viri Religiosi & Episcopi boni, Paulinus Episcopus à Treviris (quæ Galliarum Metropolis est) Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniae &c. &c. D. Hilarii sententia contra Constantium Imperatorem pro D. Paulino his sequitur verbis: *At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi. Postquam omnia contulisti arma adversus fidem Occidentis, & exercitus tuos convertisti in oves Christi, refugere nihil sub Nerone licuit. At tu Paulinum beate passionis Virum, blandimento sollicitatum relegasti: & Ecclesiam sanctam Trevirorum, tali sacerdote spoliasti: edictis fidem terruisti, ipsum usque ad mortem demutasti, exiliis & fatigasti! extra Christianum quoque nomen relegasti: ne panem aut de horreo tuo sumeret, aut de Montani Maximilleq; antro profanatum, expectares.* Ex Oriente

ente

riente in Occidentem Treviros usque transtulit ossa D. Paulini miraculis conspicua, S. Felix II. Pontifex Romanus.

XXX. D. BONNOSVS. IV. ARCH.

D. Bonnosus quamvis clarissimos inter Trevirensium Archiepiscopos annis 24. continuis locum vindicârit sibi, in Divorum Album referri etiam meritis, brevissimo nihilominus encomiorum compendio hoc à Brovvero posteris cominendatur: *S. Bonnosius, sive Bonnosus: sub quo à Valentino Imper. Treviris commorante obtinetur, ne, quod invaluerat, Christiani ab actoribus dje Dominica convenirentur, Quod sanctione decretum est. Demum Bonnosius, postquam annis pluribus sanctè præsedit, Treviris moritur. Sepultus est ad S. Paulinum.* Si itaque D. Bonnosii sortes humana exanimentur bilance, felicissimum fuisse dicimus, quòb Valentinum Cæsarem clementissimum sibi expertus sit: inter beatas sortes eam fortassis numerare convenit, qua D. Hieronymum Treviris litterarum causâ advenam videre & venerari licuit.

XXXI. D. BRITONIVS. V. ARCH.

D. Britonius ab aliis Brito, aut Britannus nominatus, S. Bonnofo successit in Archiepiscopali Trevirorum Cathedra; cuius tametsi gesta pleraque literis non habeantur expressa, quemadmodum multorum aliorum Episcoporum, licet in Divorum Cathalogos relatorum, variis tamen Episcoporum Conciliis tum Romæ, tum Treviris ritè celebratis interfuisse legitur. S. Britonii atate Episcopi Luciferiani Maximo Imperatori adhærebant maximopere, eo persuasi argumento, quòd crederent, potentiâ Maximi Priscilianum in Hispania hæreticum cum sectatoribus quamprimum è medio posse tolli. At fortissimè obstitere DD. Ambrosius, Martinus & Britonius, eò quòd seculari potestati iudicium de rebus Ecclesiæ tribuissent Luciferiani schismatici. Annis 4. absolvit Episcopatum an. 386. mortuus.

XXXII. D. FELIX, II. VI. ARCH.

D Felix in ea difficillima incidit tempora, ut quid ageret, aut omitteret, unà cum Episcopis aliis incertissimum haberet. Unde Methodius in hunc maximè modum scripsit: *ea tempestate Felix, tertius post Paulinum Trevericam in Pontificatu sortitus est Ecclesiam, Maximo Imperatore tyranno Rempublicam tunc in his partibus gerente, & Trevirim hereticorum cladibus pulsante, Tunc B. Martinus Trevirim venit, & cum Felice ruit.* Felix nimirum ab Ebiscoporum Synodo, Maximi tyranni tanquam supremi judicis partibus addicta, & electus & ordinatus est D. Martino præsentè & connivente: quam ob rem unà cum Felice à cœlesti nuntio reprehensus Martinus, crebris lacrymâs pœnitentiæ testibus culpam admissam expiavit. Locum eluendis culpis peridoneum ipse struxit sibi Archipræsul, translatis enim ex Phrygia D. Paulini ossibus ædificavit monastorium, cuius & ipse membrum nobilissimum est effectus, postquam honores quovis publicos reliquit. De anno abdicationis vix bene constat: annum mortis 398. legimus. Sulpitius Severus de D. Felice hæc memoravit: *postridie Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sanè Viri & planè digni, qui meliori tempore Sacerdos fieret.*

S E C U L U M V.

XXXIII. MAURITIVS II, VII. ARCH.

Non quanta egerint, sed passi fuerint Mauritius Archipræsul & Successores, compertum est: hæresibus namque passim & sceleribus (ut jungi consueverunt) toto orbe Christiano exundantibus, Deus scelerum & hæresum vindex, Gothos, Hunnos, Wandalos aliòsque hostes suscitavit. Trevirenses igitur, quòd luxu & ebrietate diffluerent, à Crocho Wandalorum Duce sub Episcopo suo Mauritio ferè sunt excisi penitus, magnificis passim ædificiis subversis. Monasteria nihilominus, & quidem

dem Fœminarum etiam jam ea ætate Trevirîs floruisse, argumēto est, quòd Bassula proconsularis vidua, monasticam isthic vitam sit amplexa, & Severus Sulpitius defuncta conjugē suā Bassulæ filiā, exemplum focrus suæ sit secutus. Sulpitii domus primùm in pauperum hospitium conversa, tandem Basilicæ sacræ formam induit. Mauritius Archipræful curis confectus & laboribus diem obiit an. 407. 9. an, Sed.

XXXIV. D. LEONTIVS. VIII. ARCH.

D Leontius ex nobili Pontiorum genere in Aquitania natus, ut est opinio, natales virtutibus illustravit, quarum adminiculò electus Archiepiscopus, & in Divorum numerum adscriptus est Divus, Superis tamen, quàm mortalibus notior. Annis 2. præfuit, mortuus an. 409.

XXXV. D. AVTHOR. II. IX. ARCH.

D Author Trevirensium Sedem conscendit avibus parùm faustis: mox enim altera Francorum adhuc moribus & aris assuetorum populorum irruptio tentata est, D. Authori mœstissima; cui haud multò post accessit tertia, *nihilò per clades gravissimas*, ut Salvianus inquilinus conqueritur, *melioribus Trevirorum civibus*. An D. Author ex S. Mauri Monasterio Alsatico Treviros fuerit translatus, dubitari meritò asserit Brovverus: Tabenæ illum juxta S. Quiriacum quiescere, est fide dignius. Sepultus est an. 427. sedit an. 18.

XXXVI. S. SEVERVS. X. ARCH.

S Severus D. Lupo Trecassino miræ sanctitatis & doctrinæ Episcopo discipulus dedit operam. Disciplinæ socios nactus est Polychronium Virdunensem, & Albinum Catalaunensem Episcopos, multis præclaris operibus clarissimos. Et verò in maximo Germaniæ Galliæque mœrore, ea propemodum

dum summa ac memoranda fuit felicitas, quòd pleræque provinciarum regiones egregiis fuerint custoditæ Pastoribus, inter quos Severum meritò sunt veneratæ. Porro huius in Christi Fide propaganda ardorem, & in curandis ovium suarum vulneribus industriam, inde intelligamus licet, quòd Apostolico Spiritu plenus, non Belgii finibus concludi, sed finitimis perinde Germaniæ populis ac remotis, & inter hos Britannis ab orbe nostro divisis, operam desudare suam industriamque, præclarum duxerit. Plenus itaque virtutibus & meritis terras reliquit an. 455. Sed, 28.

XXXVII. D. CYRILLVS. XI. ARCH.

D. Cyrillus D. Severi Successor Antecessori fuit simillimus, si annos Sedis perpaucos demamus: duobus enim duntaxat Archiepiscopus fuit, ut esset longè pluribus, desiderium sui reliquit plurimis an. 457. jam vivis ereptus. In primis voluit esse curis templorum destructorum restorationem; templis accessit S. Eucharii Oratorium, cui adjecit Monasterium, quod S. Mathiæ nomine nuncupârunt posterii. DD. Eucharii, Valerii & Materni Reliquiis locum hunc novum exornavit. Sanctis denique Sanctus ipse est appositus an. 457.

XXXVIII. HIMERIVS. XII. ARCH.

Himerius etiam Jamiricus & Jamblychus appellatus, unius duntaxat anni Archiepiscopus, magnas meritis est laudes; ipsum namque in epistola ad Arbogastem Comitem Trevirensẽ datâ, Auspicius Tullensis Episcopus *sanctum*, Sidonius verò *Virum consummatissimum* dixit.

XXXIX.

XXXIX. EVEMERVS. XIII. ARCH.

Evemerus Archiepiscopus annis 3. Germanicas latè provincias bellorum turbis doluit involvi, & ipsum Occidentis Imperium sub Imperatore Valentiniano III. ob publica scelera penitus collabi. Tumulo illatus est Evemerus an. 461.

XL. S. MARVS. XIV. ARCH.

S Marus annorum 4. Archipræsul insigni Religionis zelo claruit: testimonium dicant verba Brovveri relicta & legenda posteritati: *Marus maiorum literis, at amissis injuriâ temporum celebratus, Decessoris Cyrilli vestigia renovavit; basilicam namque Virgini Matri à D. Felice constructam, communi verò postea urbis incendio ac populatione Hunnorum corruptam reparavit, sepulturam in ade D. Paulini operis antiqui, nec inelegantis cum multiplici anathemate, hac inscriptione illustrem adeptus:*

*Præsul Marus Deo
Dilectus multas
Carne vincens, egit
Virtutes. Cuncta
Ejus vitæ liber
habet.*

Librum eum, ut alia pleraquæ vetustas abolevit. Sed quantum Vir hic sanctitate præstiterit ac morum innocentiam, innumera prodidère miracula, quibus sepulchrum eius veneratione plenissimum, omni seculorum ætate gloriosum extitit. Repositus in Divorum numero colitur die 26. Januarii an. 465. Treviris erptus.

XLI. VOLVSIANVS. XV. ARCH.

VOlusianus post D. Marum Trevirorum Ecclesiam regendam suscepit à providentia multum laudatus: Metropolitanæ quippe & Primatus dignitatem, qua D. Agritius à Sylvestro Pontifice eximie fuerat ornatus, literis novis in rei antiquioris fidem datis, confirmari & instaurari providè curavit, ne

M

nimi-

nimirum præmunita recentiori sigillo dignitas cum interitu urbis sensim obsolesceret. Laudatus ob hoc ab Hilario Pontifice, laudari meretur etiam hodie. Mortuum extulerunt post Sedis annum 4. Christi 469.

XLII. D. MILETVS. XVI. ARCH.

D Miletus multorum Episcoporum more nomine duntaxat & sanctitatis titulo notatus, vidit Trevirenses in jura Francorum, exclusis penitus Romanis Præsidibus, concedere. Haudquaquam inde diminuta potestas Pontificis, quin firmiores radices accepit, Francis Politicam Romanorum potestatem pede conculcantibus, potestatem verò Ecclesiasticam toto vertice venerantibus. Annis 7. Treviros gubernavit an. 476. mort.

XLIII. D. MODESTVS. XVII. ARCH.

D Modestus an. 3. sedit Trevirensium Archiepiscopus, cuius vitæ compendium vel uno *sanctitatis* nomine posteritati est commendatum.

XLIV. MAXIMIANVS. XVIII. ARCH.

Maximianus tametsi annis 20. Trevirensium conservârit Ecclesiam, non nisi paucissimas de eodem tamen dedere nobis lineas seduli in Archiepiscoporum facta inquisitores: unde Brovverus hanc expressit synopsis: *Porro hinc Ecclesiæ Treviricæ Præfectus Antistes Maximianus, qui annum circiter quadringentesimum octogesimum attingit. neque interim ullis ad memoriam claris actionibus hi omnes Episcopi, quos diximus innotuere: ut fatiget animum successiones has necesse tam crebras, & rerum etiam, quod caput est, inanes &c.*

S E C U L U M VI.

XLV. S. FIBITIVS. XIX. ARCH.

ANno Salutis 500. D. Fibitius Archipræful creatus Episcopali munere cœpit inclarescere; ejusdem namque probatam multis egregiis factis Sanctimoniam, patrata etiam post mortem beatissimam miracula prodiderunt. Ossa D. Antistitis in Oratorio juxta Mosellæ pontem sepulta, vel improborum injuriâ, vel religione Christianorum immodica, loco suo amota sunt: nihilominus S. Præfulis in Ecclesia manet & viget memoria perpetua. An. seculi V. 28. mortuus, totidem annos Sedis numeravit.

XLVI. D. APRVNCVLVS. XX. ARCH.

DAprunculus eximia vitæ sanctitate Treviris adstitisse scribitur. Sepultus est anno Sedis 4. Christi 532. juxta odeum S. Paulini.

XLVII. D. NICETIVS XXI. ARCH.

DNicetius illustri genere, illustriori doctrina & virtutibus à tenera ætate in Galliis excultus, in Archiepiscopum Trevirorum ante alios deligi est promeritus. Cœlestibus signis, in utero matris jam illustratus, dum Sedem arduam invitus conscendit, sensit tergori suo onus nemini visum, longè tamen gravissimum incumbere: at oneri accessit odor cœlestis, ex quo collegit futuros labores ac dolores solatio miscendos. Oneri maximo Archipræfuli erant Theodoberti Regis adulteria, & mores populi parùm probati, quos insigni libertate perstrinxit: Rex enim nec monitis, nec minis emendatus, cum scelera sceleribus neceret, Sacris à Nicetio est interdictum pervicaci; qui cum irâ frendens & exæstuans in templum irrumperet, continuo

M 2

puer

puer arreptitius Regem adulterum proclamavit, nullis hominum viribus, tametsi Rex imperaret severissimè, loco amotus. Arvernensi dein Synodo, in qua Sacerdotum ambitus severè castigatus, & cœlibatus pro viribus imperatus, interfuit. Annis duobus elapsis, B. Aredium Theodoberti Regis familiarem virum, fugere aulam, & Clericis accedere docuit, advolantis columbæ augurio vocationem probante. Circa annum seculi huius 50. Bisschoffsteini-um castrum in ripa Mosellæ triginta turribus, Oratorio, propugnaculo & aquæ ductibus conspicuum, futuram Cardonæ Archidiaconorum sedem ædificavit. Annorum 32. Archiepiscopus annis tribus vitæ ultimis sensit maximopere & onus novum & cœleste solatium: Clotharium enim totius Franciæ Regem dum communi- one Fidelium, ob incestum, & parricidium privandum censuit, ab eodem in exilium ejectus, non tam sua, quàm Regis miserimi fata doluit: hinc enim mox extinctus, Nicetius verò à filio Clotharii Sigeberto Austrasiæ Rege restitutus an. 563. sanctissimam vitæ sanctæ coronidem imposuit, miraculis compluribus inter vivos & mortuos illustratus.

XLVIII. D. RVSTICVS. XXII. ARCH.

D Rusticus S. Nicetio subrogatus dissolutionis vitæ maculas mirâ & rarâ sui conversione emendavit. Ea nimirum ætate D. Goar Sacerdos virtutibus clarissimus hospites multos hospitio excepit, præter Dei honorem & proximi salutem nullam facilè mercedem admittens. Verùm hac ipsa de causa à pravis hominibus in suspicionem sceleris vocatus, quin ad ipsum Archipræsulem delatus est. Tum fortè, aut veriùs Deo mittente attulerunt infantem exposititium, patris Goaris, ut mentiebantur, sacrilegum natum. Rusticus igitur cùm juberet, ut præsentis pueri parentes Goar proderet, isque orationi intentus ipsummet *infantem & patrem & matrem suam* nominare rogaret, continuo omni

ni

ni exceptione major testis parvulus nupèr natus exclamavit: *Pater meus est Rusticus, mater mea est Flavia.* Hoc convictus & attonitus teste Archipræful, Goarem innocentiſſimum, ſe verò maximè reum confellus, pœnitentiam adverſus ſcelera remedium optatiſſimum in primis & poſtremis habuit curis; relicto namque publico honore ac munere, in eremum abiit obiitque miraculis illuſtratus. Sedit annis 9. uſque ad annum 573.

XLIX. D. MAGNERICVS. XXIII. ARCH.

D. Goare Trevirenfem Infulam non admittente, in Archipræfulem electus eſt Magnericus, factis egregiis inſignis: is namque Theodorum Maſſiliae Episcopum Treviros captivum perductum ſingulari charitate excepit, biſque reſtitui Sedi ſuæ curavit, virtute fretus orationis, quam in D. Maximiniæde pro Theodori incolumitate, dæmone fruſtra obnitente, peragere eſt ſolitus. Aliàs cum D. Gregorio Turonenſi trajecturus Rhenum infra Confluentiam, ubi cum Rege Hildeberto de reſtitutione Theodori actum, periclitatus naufragio, Reliquiarum S. Martini ope periculum evaſit. Recreatus hoc beneficio ædem D. Martini ad Moſellam à Tetradio quondam Senatore excitatam, novo inſtauravit opere, addiditque pro majori cultu monaſterium D. Benediæti Religioſis filiis incolendum. Ædem alteram D. Martino ſacram in monte Martio, & tertiam Cardonæ ædificavit. Archidiœceſin ſuam ipſe viſitando luſtravit & emendavit, Cleri moribus ubique inſtauratis, exemplis maximè & verbis potens, laudibus in vita & morte eximiis ornatus. Diem ſuum obiit poſt Sedis an. 22. an. 596.

L. GVNDERICVS. XXIV. ARCH.

G Undericus D. Magnerico in Sede juſſus ſuccedere, dictus eſt aſymbolus, quòd re nulla ſingulari poſteris innotuerit. Annis 5, ſedit & ſeculum VI. obitu ſuo clauſit.

S E C U L U M VII.

LI. S. SEVERINVS. II. XXV. ARCH.

S Severinus II. longè notior nomine, quàm re, licet ab Ecclēsia publicos impetraverit honores, in Divorum fastos relatus, die 20. mensis Decembris cultoribus commendatus; ab ævi tamen sui Historicis per annos 18. Sedis suæ encomiorum ferè nihil impetravit an. 618. mortuus.

LII. SEBAVDVS. XXVI. ARCH.

S Ebaudus ab aliis Sabaudus dictus, virtutis famâ, quàm Historiæ memoriâ clarior, diem vitæ ultimum numeravit an. 626. 26. Novembris, quem eidem sacrationem fecerunt posteris, eiusdem virtutibus, & fortè miraculis excitati.

LIII. D. MODOALDVS. XXVII. ARCH.

D Modoaldus in aula Dagoberti I. Austrasiæ Regis cum Cuniberto Colonienſium & S. Arnulpho Metensium Episcopis aliisque juvenibus, & demum viris virtutibus illustrissimis educatus. Modaldus porro cum & natalium splendore, utpote Pipini I. Majoris Domus ob Itam sororem ductam conjugem affinis, & ipse ex Regio sanguine prognatus, simulque doctrinâ & industriâ excelleret, Dagoberti Regis filias Irminam & Adhelam ad omnem pietatem egregiè formavit; quin & Regis ex dissoluta vita ad emendationem traducti liberalitate, ad Religionis incrementum usus est strenuè, variis templis & monasteriis erectis: regia namque horrea Trevirensium in urbe olim extructa in Virginum sacrarum asceterium convertit, cui Irminam dedit Moderatricem. Alterum asceterium Palatioli, quod Majores Domus incolebant, excitavit, cui Adhelam prima jam ætate

ma-

marito viduatam præfecit. Parthenonem denique tertium in ripa Mosellæ extruxit, D. Symphoriano Martyri sacrum, cui Severam sororem suam dedit Magistram, Regulâ D. Benedicti omnibus præscriptâ. In horum postremo Modoaldus post vitam sanctissimè exactam sepultus, inde verò in Saxoniam religionis ergo translatus est. Ornavit suâ præsentia Ecclesiam Trevirensis an. 30. mortuus an. 656.

LIV. D. NUMERIANVS. XXVIII. ARCH.

D. Numerianus curâ Archiepiscopali Treviris suscepta inclaruit. Quamvis itaque vitæ sanctioris præclaram memoriam ferat etiam hodie, scriptorum tamen vel negligentia, vel interitu præter monumenti epigraphen, qua anno 670. die Julii 5. morti succubuisse dicitur, de eodem nihil posteris relictum est.

LV. D. BASINVS. XXIX. ARCH.

D. Basinus illustri sanguine & virtutibus celebris, ex D. Maximini cœnobio Abbas evocatus, Metropolitanam Trevirorum adiit. Religionis propagandæ curam in se suscepit singularem; quare D. Willibrordum ex majori Britannia cum duodecim sociis egressum, perquam benevolè excepit, & beneficiis sibi devincire studuit, ut Germanis in Germania, unde Anglorum majores venerant, salutem etiam communicaret, promulganda Evangelii lege & luce. Ad annum 697. usque vitam produxit Basinus, ob summam vitæ integritatem & Sanctimoniam laudem Divi nomine ac honore insignitus. Corpus eiusdem pignoris sacri loco in D. Maximini Basilica fuit repositum, ut quem locum inter vivos signatum impressumque Sanctitatis suæ vestigiis reliquerat, illum ne mortuus quidem desereret. Sed. an. 27.

S E C U L U M VIII.

LVI. S. LVDWINVS. XXX. ARCH.

S. Ludvvinus D. Bafini ex Gonzaga sorore sanguinis Regii Princeps cellissimo Ducis munere in aula Childeberti Regis est functus. At splendidis seculi titulis, & magnis insuper opibus spretis, amœnitate virtutis, & divinæ Sapientiæ studio captus, in monasterio Mediolacensi, quod super amœnam Saravi ripam prope Saraburgum extruxit, aquilæ invitantis augurio lætus, Monachorum regulas cœpit laudare & imitari. Fugisse honores publicos fuit invenisse: summo namque omnium ordinum consensu Ludvvinus ex tenebris evocatus ad lucem, eodem anni vertentis die electus est Trevirensium Archipræsul, quo seculo prius nuntium remisit: quo in munere per annos unum & viginti floruit insigni virtutum decore, ex bono marito factus melior Episcopus. Religionis messi eo tempore copiosissimæ ut incrementum faceret, D. Willibrordum Frisiæ & aliarum provinciarum Apostolum ferventissimum, peculiari amore ac favore complexus est, author & adjutor eidem factus, ut Trevirensi in agro excitaret monasterium S. Irminæ liberalitate dotatum, aut ditatum. Templis aliis & monasteriis vel institutis, vel instauratis, dum Rhemîs Ecclesiæ causam agit, mortis sustinet sententiam. Translatus Rhemîs Treviros, miraculis viæ comitibus Christianorum obviæ venerationi est plurimum commendatus. Imò ne Treviros deducerentur reliquiæ, obstetit luculentum miraculum: namque ubi ventum ad eum locum, quo Sara amnis propè Treviros Mosellæ miscetur, ferunt, attonitis omnibus immotam stetisse cymbam: at verò post invocatam cœli opem, & exploratam Omnipotentis voluntatem, navim, quæ prius gubernaculi impatiens, secundo licet amne, nec remigum nec vectorum ullo ministerio propelli poterat, versa puppi, atque inflexo cursu

su adverso flumini contravenisse, ac viam repetiisse: donec denique undis nequidquam obluantibus Mediolacum usque incolumis appulsa, semet ripæ applicuerit, ut quem locum olim à seculi fluctibus portum vitæ tranquillioris attigerat Ludvvinus, eundem haberet quietis sedem, aut sepulchrum ab anno 718.

LVII MILO. XXXI. ARCH.

Milo D. Ludvvinii filius in connubii statu ante aditum Sacerdotium patris pridem susceptus, temporum, aut veriùs electorum iniquitate electus est Rhemorum pariter & Trevirorum Archipræsul; sago togam, galeæ infulam præhabendam ratus, bono persuasus consilio, si sequi consilia magis didicisset. Verùm detestantibus factum plurimis, pascere oves nunquam cœpit, venari in sylvis feras nunquam destitit. Annis omnino 40. lupum veriùs, quàm pastorem hunc tulere Treviri, donec tandem ab apro devictus, & an. 758. in frustra discerptus, sylvæ novum indidit nomen. Interea D. Willibrordus, & hoc Episcopo ex senio viribus deficiente, D. Bonifacius Trevirensium Ecclesiæ conservandæ vigilem navârunt operam, quò minùs tanto officio indignissimum removerent quàm primùm, potentiorum machinâs impediti.

LVIII. D. HILDOLPHVS. XXXII. ARCH.

D Hildolphus ex claro Bojorum stemmate ortus, & Ratisbonæ moribus ac literis excultus, à Pipino Gallorum Rege Treviros usque est translatus. Eremum publicis curis anteferre doctus, dum abitum paravit, aditum ad summos honores Trevirâs invenit, communi omnium acclamatione promulgatus Archipræsul. Quare tot suffragiis vocatus, nihil antiquius habuit, quàm collapsas ædes sacras refarcire, Clericorum vitia emendare, Divorum præsertim Trevirensium honores promoveri: testis sit D. Maximini sepulchrum ab aquarum illuvie

N equi-

equidem mirè servatum, temporum tamen injuriâ nonnihil corruptum, ut à D. Hildolpho amplius exornaretur. Annis 10. inter publica negotia consumptis, depositâ mitrâ cum Spinolo, Joanne & Benigno Monachis Maximianis Vogesi montis eremum, collacrymantibus ferè bonis omnibus, petiit Hildolphus, ubi rerum cœlestium contemplationi, & virtutum selectissimarum exercitio intenti, partim adventantem populum in sui admirationem, partim multos ad imitationem pertraxerunt.

LIX. D. VEOMADVS. XXXIII. ARCH.

D. Veomadus à D. Hildolpho subrogatus eò magis placuit, quòd Hildolphus contra communes omnium preces & querelas constantissimum sese exhiberet in deligenda eremo, atque in successorem designando Veomadum, quo neminem in eo rerum statu digniorem palàm dicebat. Fuit Veomadus Mediolacensis monasterii Abbas laudatissimus, & jurium Ecclesiasticorum assertor constantissimus; quod expertus est Asfuerus, Prumiensis monasterii Abbas, de dominio Cellæ D. Goaris dictæ, litem sustinens. Quantus Ecclesiæ defensor, tantus Ss. Reliquiarum propugnator & promotor: D. Castoris enim Ossa decentiori loco collocavit, populo Cleroque Cardonam usque Archiepiscopum comitante, ac tridui abstinentiâ præviâ Numen propitium sibi reddente. Divorum curam tam sedulam dum gessit, sui curam majorem geri à Divis expertus, à D. Castore ter spectabili factò, è mortalium numero est evocatus an. 781. Sed. 13.

LX. RICHBODVS. XXXIV. ARCH.

Richbodus ex Abbate Mediolacensi creatus Archiepiscopus Trevirensis, vix aliam, quàm nominis sui, nobis reliquit memoriam, aut veriùs alii reliquerunt, gestorum publicorum parùm seduli observatores. Annis 10. sedisse creditur, mort. an. 791.

LXI. WAZZO XXXV. ARCH.

Wazzo in Sede Trevirensi annis 19. ad annum nimirum 810. usque sedit, tempore Ecclesiæ denuo florentissimo, quo nimirum D. Leo III. & Carolus M. Imperator collatis studiis Romanas Aras identidem altiùs evehere, & promoverè laborârunt. Laudavit conjunctam utriusque operam ante alias Trevirensium Ecclesia, quam Leo præsentia suâ, & privilegiis exornavit; Carolus verò unà cum fratre Carolomanno Austrasiæ Rege eadem ferè ætate mortuo, donis & divitiis honoravit. Cæterum Wazzonis res gestas tacuit antiquitas.

S E C U L U M IX.

LXII. AMALHERIVS. XXXVI ARCH.

Amalherius illustris familiæ juvenis, sub Alcuino eximia famæ Magistro, didicit literas eo fructu, ut Latinæ simul & Græcæ linguæ peritissimus haberetur. In literis proficisse adeò profuit, ut licet Carolus M. Trevirensium Ecclesiæ Archipræsulem optaret, & offerret D. Ludgerum, Canonici nihilominus Amalherium sibi eligendum existimârint, & ipsum sublimi Sede dignissimum judicârunt Ludgerus. Quanti eundem fecerit Carolus, vel ex eo licet æstimare, quòd Legatum Constantinopolim ad Michaelèm Orientis Imperatorem, pro pace & amicitia stabilienda miserit Amalherium primis aditæ suæ dignitatis, Caroli verò imperantis annis ultimis: altero enim post abitum suum anno Constantinopoli redux Legatus, Imperatore vitâ functo, & Aquisgrani sepulto, Ludovicum Pium invenit Cæsarem. Ferunt ab Amalherio institutum esse morem convocandi ad Sacra populum in hebdomate sancta crepitaculis ligneis, eò quòd eundem morem in Oriente pridem institutum didicisset. Non pauca alia, quæ tum Constantinopoli, tum Romæ vidit, &

cunctis probari intellexit, Trevirensi Ecclesiæ observanda præscripsit; ut verò firmarentur longiori usu facilius, exemplis, quoad per negotia publica licuit, suis communivit in choro arbiter assiduus. Unde in absentia sui, ne quis absentem existimaret, Adalmatum & Herilandum, nec non Theganum, doctrinâ & morum probitate viros eximios sui loco constituit, ut ritè arbitrarentur, & custodirent omnia non verbis, quàm exemplis potentiores. Annis 32. instar syderis fulsisse Amalherium, unâ cum Brovvero tradiderunt non pauci, qui miraculis clarum in Divorum Album fortè relatum esse meminerunt. *Vid, Trithem. MS, Latium &c.*

LXIII. HETTI, XXXVII. ARCH.

Hetti ab aliis Hetto nuncupatus, inque Mediolacensi monasterio Abbatis munere strenuè functus, Trevirensis Ecclesiam tum natalibus suis clarissimis, tum insignibus meritis illustravit, quod hisce lineis docet Brovverus: *generosis ortum natalibus, magnisque rebus, & honorum titulis insignitum novimus &c.* Maximi fuisse habitum, indicârunt epistolæ ab Hincmaro Rhemensium Archiepiscopo celeberrimo ad Hettonem datæ, quibus ab eodem tanquam discipulus à Magistro instrui, & tanquam filius à patre corrigi humanissimè petiit. Quin eminuit Hetto non apud æquales modò, sed apud Imperatorem ipsum Ludovicum confusio & autoritate maxima, cuius ut vivi gratiâ permultùm valuit, ita in manibus suis mortui liberalitate Ecclesiam suam plurimum locupletavit: Hetto enim Archiepiscoporum omnium primus, *Indominicatum*, ut vetus diploma loquitur, Diocesi suæ adjunxisse existimatur. S. Paulini Clerum in Waldriola, & Reinonis campo plurimis auxit beneficiis, quæ de suo decerpere & erogare nihil ipse dubitavit. Eiusdem Imperatoris liberalitate fretus, confluentiam S. Castoris Collegio ornavit, & ejusdem Divi Reliquias eò Car-

donâ

donâ transtulit, quò & brachium S. Goaris perlatum est. Tumulo Hettonem illatum esse anno 850. post annos circiter 18. plurimum Scriptorum est opinio.

LXIV. HETTO THEIDGAVDVS,

XXXVIII. ARCH.

Hetto Theidgaudus Hettonis nepos, & in monasterio Mediolacensi Abbas Successor, æmulari in rebus omnibus vel patrum, vel avunculum suum est creditus, ut neminem ipso Trevirensium mitrâ digniorem censerent legitimi electores. Verùm spei non respondit optatus rerum eventus: ipsa enim non multò post urbs princeps magnis tempestatibus concussa, & ostentis territa, majorum malorum sensit esse præludia. Ecclesiæ tunc vim inferebant partim domestici, partim externi hostes maximam; unde Synodus Episcoporum Confluentiæ, absente Theidgaudo Archiepiscopo, in templo S. Castoris est habitata an. 860. ubi in præsentia Lotharii, Ludovici & Caroli Regum de Ecclesiasticorum defensione constitutum fuit, ut more à majoribus tradito, starent. Nihilominus eodem anno Theidgaudus cum Præposito aliisque Clericis à seditiosis civibus, & mixtis prædonibus captus, atque ad edendum jusjurandum libertatis recuperandæ spe adactus, obligatione sua gravi metu extorta, Pontificis Nicolai I. autoritate est solutus. At inde Lotharius Rex in repudio Theutbertæ conjugis, Walrada pellice substituta, Theidgaudum unâ cum aliis Episcopis transversum egit. Haud profuit monuisse severissimè, ut Lotharii partes Archipræsul relinqueret: quare ab Hadriano II. Pontifice confixus anathemate, in Italia miserè periit an. 869. Interea in Theidgaudi cathedra sedisse monstruosum canem ferunt.

LXV, BERTHOLPHVS, XXXIX ARCH.

Bertolphus ex Abbate Mediolacensi, Carolo Calvo plurimum favente, contra Waltonem Monachum à Ludovico Germanorum Rege obtrusum, eligitur, vir tanto honore & meliori tempore dignissimus: vixit namque in Ecclesiæ statu, Normannis latè omnia vastantibus. Ut proinde Sanctorum saltem pignora tutò quiescerent, subterraneis illa passim recondita locis, & sequentibus seculis diu ignorata latuère, donec reperta, cum multorum gaudio & salute in lucem denuo sunt eruta. Nec cautela in tempore fuit nimia; nam Godefridus Normannorum, & Sigefridus Dannorum Reges Coloniam, Treviros unaque urbes alias everterunt. In comuni eoque gravissimo rerum discrimine Virgines à S. Symphoriano nomen habentes, Trevis ad D. Modoaldi tumbam supplices impetrarunt, ut intra 30. dierum spatium omnes optata mors eripuerit, antequam civitas ipso Cænæ Dominicæ die sacro propemodum omnis solo est æquata. Miraculum accessit alterum, quo D. Paulini Basilica flammis ab hoste nequicquam petita fuit. Imò & ejusdem tumba in aere vacuo hæsit pendula in annos dein complures, post revulsas, quibus antea tenebatur, catenas ferreas. Contigere hæc anno seculi IX. 83. qui fuit Bertholpho Archipræsuli inter vivos penultimus: annis igitur sedit 14.

LXVI RADBODVS, XL. ARCH.

Radbodus non minùs, quàm Antecessores varii ex Abbate Mediolacensi Trevirensium peridoneus esse judicatus fuit Ecclesiæ, cuius curam gessit laudatissimam difficillimo sanè tempore, quo Normannorum alii post alios impetum tentarunt, & Hugo Waldradæ ex Lothario filius Lotharingiam Carolo erpturus, Godefridum Ducem evocavit. Verùm victor Carolus Hugonem interceptum oculisque privatum Pruniensî Monasterio

rio inclusit, mox & ipse non imparem sustinens fortem, dum RICHARDE legitima conjuge rejecta, aliarum amplexibus adeò se implicuit, ut sceptro regnòque orbatus, vix haberet, unde viveret. Radbodus interea post celebratam Moguntiaë Synodum, dono Arnolphi Imperatoris S. Servatii Abbatia auxiliavit Trevirensis Ecclesiam. E contrario idem Imperator S. Maximini vel monasterium vel, ut vocamus, Abbatiam Meringaudo inter Seculares Duci obtulit, qui eapropter membris captus omnibus, merito à Superis videri potuit esse punitus, præsertim cum non, nisi ad D. Maximinum fuis precibus est restitutus, ex monasterii hoste, ejusdem amicus effectus ad sepulchrum usque constantissimus. Ut resarciretur etiam damnum maximum à Normannis illatum, Ecclesie Trevirensi à Ludovico IV. Imp. donatum est Sirckium cum juribus aliis intra & extra urbem vectigal exigendi. Hæc aliâque beneficia à Supremis Capitibus in Trevirensium Sedem collata, Radbodum suum Principem Authorem jure venerabantur, Gubernavit Ecclesiam suam ad annum usque 918. per annos Sedis 32.

SECULUM X.

LXVII. RVOTGERVS. XLI. ARCH.

RUotgerus Radbodo animi magnitudine, & virtutibus aliis minimè impar, Cleri populique suffragiis in Archipræsulem electus est, non expectato ullius Regis annutu, uti nupè Ecclesiasticorum in jurium & bonorum violatores volebant. Adversa valetudine ut plurimum afflicto, & valetudinem pristinam votis omnibus flagitanti, D. Maximinus rem optatam promisit, si corporis sui Reliquias rursus hostium oculis ereptas, terræ gremio committeret. Data servatâque fides Maximino, qui fidem sedulo servanti restituit sanitatem, Restituta sanitas tan-

tum

tum in Ruotgero operata est effectum, ut S. Eucharii ædem, & huius bona à violentis raptoribus afflictæ, restitutis possessionibus, strenuè vindicârit. At non tam bonorum terrestrium, quàm morum optimorum assertor strenuus an. 925. Trevis Concilium unâ cum Suffraganeis & Clericis suis adornavit, præsentibus Adalberone Metensi, Barnoino Verdunensi, & Drogone Leucorum Episcopis. In eodem decretis variis solutior Ecclesiasticorum disciplina arctiùs restricta, & liber ab ipsomet Ruotgero conscriptus, quem tanquam Ecclesiasticarum Sanctionum synopsis summus omnium assensus laudavit. Virorum literis addictorum æstimatorem fuisse testatus est Flodoardus in seculo ferreo vir aureus, qui cohortatione Archipræsulis accensus, Poematum octodecim libros, nimirum tres de triumphis Christi Sanctorumque Palæstinæ, ac quindecim alios de triumphis Sanctorum Italiæ conscriptos ad Ruotgerum misit, atque ejusdem nomini inscriptos dedicavit, qui hodie supersunt in Metropolitana bibliotheca Trevirensi, Annus vitæ ultimus Ruotgero fuit 930. Sedis 12.

LXVIII. RVOTBERTVS, XLII. ARCH.

Ruotbertus ritè eligentium suffragiis vocatus, ut ait Brovverus, *Vir Regali prosapia, & in obeundis Pontificiæ dignitatis muneribus acris & vigilantis ingenii. Pater ei Rudolphus Burgundiæ Rex, qui nupèr Franciam, atque ingenti virtute partem Italiæ regnum Berengario fuso atque fugato aliquamdiu tenuit. Mater Bertha, Arnolphi Bojarie Ducis filia. Sororem habuit Adelheidem, primùm Lothario Regi Italiæ, inde magno Ottoni Imp. connubio sociatam, cuius nobilissimæ scemine in Ecclesiam Trevirensis meritorum extant egregia documenta.* Talis actanti Archiepiscopi auspiciis translatio D. Magnericæ Episcopi ad D. Martinum est celebrata; D. Maximini Basilica recens extructa ac consecrata, nec non quinque Episcoporum Trevirensium Reliquiæ, nimirum DD. Agritii, Maximini, Nicetii, Basini & Veomadi ibidem sunt reconditæ. Dum pro Divorum honore, & Dei perinde gloria tantopere sollicitus fuit Ruotbertus,

Supe-

rūm utique beneficio Otto Imperator, & Rex Lotharingæ antiqua Trevirensis Ecclesiæ privilegia, adjectis novis confirmarunt. Non ita favere visus est Agapitus II. Pontifex una alterave sententiâ contra Ruotbertum latâ. Annus seculi X. agebatur 56. cū grassante pestilentiae morbo per Coloniam, & latè viciniam, Ruotbertus eadem lue infectus, in celeberrimo Procerum conventu, Ruotgero & Frodoando testibus, Coloniae extinctus est annorum 26. Archipræsul.

LXIX. HENRICVS. XLIII. ARCH.

Henricus Ottonis M. Cæsaris vel affinis, vel sanguinis vinculo propinquus, cum D. Wolfgango primū in Augia Divite, postea Herbipoli sub Popponis fratris disciplina hausit virtutem ac doctrinam. Valuit ea doctrina & virtus unâ cum Cæsaris autoritate, ut in Trevirensium Sedem viduam fuerit admissus ab Electoribus Canonicis. Societatis vinculo Treviros pertractus etiam D. Wolfgangus, ac ibidem in æde principe Decanus creatus, argumentis multis id præstitit, ut Canonici unam in domum mœnibus cinctam convenire, ac normam vitæ universis communem amplecti præclare cœperint. Anno 958. Henricus in foro Crucifixi DEI prægrandem imaginem religionis causâ excitavit, postquam cœlesti ostento hominum vestimenta passim notari crucis signo conspecta sunt. Paulò post Ottone Imperatore adversus Pontificem insurgente, & exercitum in Italiam ducente, eò profectus etiam Henricus, cōmuni pestilentiae malo per exercitum grassanti an. 964. Parmæ succubuit. Interea, & anno post obitum Henrici proximo cura Archiepiscopatus D. Wolfgango est commissa. Sed. Henricus an. 8.

LXX. THEODORICVS XLIV. ARCH.

Theodoricus ex summæ ædis Archidiacono Trevirensium Archipræsul creatus an. 12. Ecclesiam suam felicissimè
 O gu-

gubernavit. Anno namque mox altero, postquam electus est Antistes, Otto II. Imperator Theodorici vel precibus, vel meritis motus, Trevirorum Ecclesiam multis auxit prædiis. Annis proximis dum Ottoni per Italiam, & Romæ præsertim adstitit Archipræsul, multis à Joanne XIII. Pontifice privilegiis est honoratus. Eadem postea Benedictus VII. rata habuit, & novis confirmavit. In monasteria quàm fuerit munificus, ex eo licet intelligere, quòd Clericorum S. Paulini, & Cœnobitarum ad SS. Martyres domos necessariis opum præsiis solatus fuerit. Inter Literatos clarissimum nactus nomen Theodoricus, inter alia doctrinæ suæ testimonia reliquit posteris D. Luidgardis Catalaunæ Virginis sanctissimæ laudes, amœno carmine descriptas. Mortuus est plenus meritis an. 977. Moguntia, ibidémque in æde S. Gangelphi, quam à se extractam duodecim Clericorum fundatione instituerat, sepultus. Inter animi dolores Theodorici is ferè erat maximus, quòd Canonici Trevirenses remoto D. Wolfgango solutioris vitæ tramitem denuò repetierint, relictis prioris ac melioris vitæ legibus.

LXXI. EGBERTVS. XLV. ARCH.

Egbertus illustrissimo Comitum Hollandiæ è stemmate natus, an. 978. singulari morum innocentia Vir Trevirensis Solium conscendit. Ab exordio excelsi muneris sui promovendæ Religionis studiosissimus, ex propriis amicorumque divitiis decorem addidit templis arisque; quibus accessit basilica S. Eucharii, splendidissimo apparatu exornata, dum B. Celsi reconditæ illic Reliquiæ non sine miraculo fuerunt repertæ, cum fundamentis eruendis operam navarent. In ædis summo loco splendidissimo Clavum Domini, Dentem S. Petri aliásque huius & D. Andreæ Reliquias reposuit, & eodem loco moveri severissimè prohibuit. Colonia, aut Metis superiorem de Baculo S. Petri, partem Treviros translata, in honorem Sanctissimi Pastoris & Pontificis

tificis, singulari reverentia est profecutus. Cæterùm Abbatia S. Mathiæ peculiari decore exulta, & Abbatia alterâ, nimirum Trajectensi per Ottonem III. Imperatorem receptâ, an. 993. Sedis 18. tumulo est illatus, postquam annis prioribus in Ingelhemienfi Synodo Præses sedit, atque de inventione S. Celsi præclare dixit: aliàs verò, cùm ingens solis æstus, & terræ siccitas Treviros afflisset, partim precibus, partim jejuniis, partim aliis consuetis in Ecclesia Romana exercitiis Superos placare studuit. De Egberto scripsit Theodoricus Historicus hunc in modum: *Egbertus militum ambitionem refrenare non timuit. Comprovincialisum tyrannidem æquus arbitror auctoritate sua repressit, & omnia, quæ monasteriis erant hostili invasione subtracta, rursus potestativa undique recuperavit, & monasteriorum Patribus, magnâ vigilantia consignans restituit.* Crucifixi Christi imago Egberto inter vivos solatium, dum post mortem eiusdem religiosè servatur Egmundæ in Hollandia, plures ægri sanitatem receperunt, testimonio posteris relicto, Divinum Numen Egberti merita orbi patefacere iis miraculis statuisse.



S E R I E S

ARCHIEPISCOPORVM, PRIMATVM
ET ELECTORUM TREVIRENSIUM,

PERIODUS III.

LXXII. LVDOLPHVS. XLVI. ARCH.

I. ELECTOR.

LAndolphum dixerunt alii ex Cœnobio Goslariensi delectum, natum in Saxonia ex illustri familia, ibidem educatum, & præclaris moribus literisque instructum, dignissimum inde, qui Goslariensi Ecclesiæ per annos 26, Præpositus præluceret, &